

concernant, aduersus infideles, vel hæreticos, aut schismaticos, ita id exigendo, tanquam speciem multæ seu poenæ delicti à potentibus, non autem ab impotentibus, cum quibus practicatur poenæ lutionis in corpore, mediante accessu ad Urbem, ac personali etiam sordido, & mechanico seruitio, in fabrica Ecclesiæ Sancti Petri, vel in alio simili opere pio, ita quoque cum hoc exemplo multæ personalis, vel pecuniariæ respectiue, alios terrendo, vel coercendo, vt ab ista consuetudine contrahendi matrimonia cum coniunctis abstineant, ideoque reuera iniusta obloquutio est.

De alijs verò, istam Cancellariam concernentibus, ad Expeditores potius, & puros practicos pertinet, nimiaque digressio, fortè nauseatiua esset, minutatim ea omnia recensere, eaque à stylo vt plurimum pendent, qui variari solet.



De Cardinali Camerario, eiusque officialibus, & Tribunali.

SUMMARIUM.

- 1 DE origine, & antiqua potestate huius Cardinalis Camerarij.
- 2 De officialibus, & ministris, quos habebat subordinatos.
- 3 De diminutione eius auctoritatis, & qualis hodie sit.
- 4 In quibus causis se non ingerat, dum eas cognoscunt A. C. & Gubernator Urbis.
- 5 Quarè dicti officiales sedeant in Camera, & cum quo voto.
- 6 De præminonia Gubernatoris Urbis.
- 7 Quam præsentiam habeat Camerarius in Tribunali Camera.

- 8 De auctoritate in Studio vel Sapiencia, et in iure doctorandi.
- 9 De potestate concedendi usum situum, plateæ Agonis, aliorumque publicorum locorum Urbis.
- 10 Quod sit officium magnæ existimationis apud populum Urbis, & quarè.
- 11 De Auditore Camerarij, eiusque iurisdictione, & quod cognoscat causas fiscales seu Camerales, & Appaltatorum.
- 12 De causis retrahuum, ac viarum, & publici ornatus.
- 13 Cognoscat causas mercatorum, & camporum.
- 14 Item causas hebreorum, & quas alias causas.
- 15 Proceditur in hoc tribunali per viam monitorij, & iuxta praxim aliorum Tribunalium.
- 16 Recipit propinas, quod damnatur.
- 17 De quibus alijs causis cognoscat.
- 18 De auctoritate, & præminonia Camerarij sede vacante.
- 19 Quod quandoque istud officium soleat esse venale.
- 20 De ratione huius venalitatæ, quæ in alijs officijs primarijs Cardinalitij non practicatur.

DISC. XI.

- 1 **P**ost extinctam, aliàs magno potestatis, dignitatem Cardinalis Archidiaconi; Cum Papa, occupatus in cognitione causarum consistorialium, ac etiã aliarum, quas in cappella, cum Cappellanis cognoscebat, vacare non posset administrationi eius Camera, seu fisci, & cognitioni causarum fiscalium, quam cum aliquibus clericis habere solebat; Hinc eiusdem Camera administratione seu præsentiam, vna cum dictis clericis, commisit Cardinali, qui Camerarius proinde appellari consuevit; Verùm paulatim iste officialis, iuxta rerum, ac temporum contingentias, ob Papæ commisiones, antiquam Archidiaconi potestatem penè in omnibus reassumpsit, præsertim circa temporale regimen immediatum Urbis, ac districtus; Ac etiam circa mediatum regimen ditionis temporalis, seu Status Ecclesiastici, in causis appel-

appellationū, vel recursū; Quinimo eius auctoritatem extendere cepit, etiam in cognitione causarum prophanarum fori ecclesiastici in gradu appellationis, vel recursus, ab Ordinarijs locorum, & à Metropolitanis, quas Papa in Consistorio, vel respectiue in Cappella, cognoscere, volebat, vt potè leuiore, vel criminales, in quibus ipse Camerarius, speciem Vicarij Papæ gerere videbatur; Cumque omnibus per se ipsum vacare non posset, hinc aliquos deputare cepit adiutores, & officiales subordinatos, & præsertim, pro cognitione causarum appellationū, vel recursuum vsupra, vndique etiam

2 extra temporalem Ecclesiæ Ditionem, venientium, habebat Auditorem, qui dicebatur Camera, idest huius Cardinalis Camerarij Auditor; Ac etiam pro immediato gubernio temporali Urbis eiusque districtus, alium habebat ministrum seu adiutorem, cui, ad differentiam Auditoris, dabatur nomen Vicecamerarij, & Gubernatoris Urbis, quod adhuc hodie retinet; Prout etiam, pro conseruatione pecuniarum Camera, ac administratione negotiorum eiusdem, siue pro cognitione aliquarum causarum cameralium minorum, pro quibus, clericorum iudicium, seu votum exquirere non videbatur adeò necessarium, alium habebat ministrum, cui dabatur Thesaurarij nomen, quod etiam hodie, adhuc retinet, aliosque habebat ministros, & officiales; Quinimò (vt nonnulla diaria docent) iste Camerarius, officium quoque Datarij, quandoque exercere consuevit.

3 Verùm, ex eadem fortè ratione, ob quam, ex alibi supra insinuatæ, dignitas Archidiaconi suppressa fuit, huius officialis auctoritas quoque paulatim diminiuitur, quoniam Pontifex manus apposuit in deputatione dictorum officialium, nempe Auditoris, Gubernatoris, & Thesaurarij, qui vtpotè independentes à Camerario, tribunalia propria formare ceperunt, cum Papa immediate communicando ea, quæ in grauioribus negocijs contingebant, adeò vt, à Camerario nullam haberent dependentiam; Atque hinc sequutum est vt tractu temporis, eius auctoritas restricta sit ad quãdam, potius honorificam præsentiam,

seu præfecturam Camera Apostolicæ, seu fisci vtriusque Principatus ecclesiastici, & temporalis, dum actualis administratio (iuxta h. diernam praxim) residet penes dictum Thesaurarium, & penes collegium, seu Tribunal præfatorum clericorum, vt infra in eorum particularibus rubricis aduertitur. A

Nullatenus verò se ingerit extra negotia cameralia, seu fiscalia, nempe in causis indifferentibus, ciuilibus, & criminalibus, primæ instantiæ Urbis & districtus, vel vltioris instantiæ, vtriusque principatus, dum illæ respectiue cognoscuntur per dictos Auditorem, & Gubernatorem, qui propterea quamuis non sint Iudices competentes dictarum causarum ad Camera Apostolicam pertinentium, adhuc tamen eandem retinēt, & continuant consuetudinem, sedendi in Camera, vna cum Clericis, vt etiam facit Thesaurarius, cum voto tamen consultiuo tantum, quia scilicet antiquitus, tanquam ministri Camerarij interueniebant; Adinstar illius infra insinuandi interuentus hodierni, domestici auditoris Auditoris Camera, & alterius Auditoris Thesaurarij in aliquibus Congregationibus, vt in suis respectiue particularibus rubricis aduertitur.

Quinimò, Gubernator retinet quoque nuncupationem Vice Camerarij, & tanquam talis, pluribus potitur honorificis præminentijs, tam in sessionibus, quam in equitationibus Pontificis, cum præcedentia non solum supra Prælatos, sed etiam supra Principum Oratores, ac Pontificis nepotes, aliosque Magnates, qui pollent præminonia assistendi in solio Papæ; Incedendo etiam per Urbem cum quadam pedestri familia armata, quæ Allabarderorum dicitur, tanquam per imaginem Principis, vel maioris magistratus; Id enim huic muneri Vicecamerarij refertur, vt infra in eius particulari rubrica habetur. B

Actualiter verò, Cardinalis Camerarius, viuente Pontifice, aliquas retinet, prioris auctoritatis, & iurisdictionis reliquias, tam circa præsentiam, ac interuentum pro eius libito in Tribunal Camera Apostolicæ, de quo infra, cuius caput, & Præfectus est, vndè propterea

P. 2. Relat. I 2 ad-

A. infra disc. 33. & 35.

B. disc. 34.

adinstar eorum, quæ *disc. precedenti*, insinuata sunt, de Vicecancellario præbente statutis temporibus prandium Rotæ Auditoribus, ita idem agit Cardinalis Camerarius cum Clericis, aliisque officialibus, Tribunalis Camerae, dum quibusdã statutis temporibus seu aliàs iuxta contingentias, in eiusdem Cardinalis domo congregari solent, pro aliquibus negotijs, quæ in dies administrantur, per vnum ex eodem Collegio, quando de generalibus, vel grauioribus determinationibus agatur; Puta (ex. gr.) pro gratia Urbis, quam vnus Camerae Clericus administrat, sub nomine Præsidentis; Vel circa taxam pretij carniū diuersarum, quæ pro diuersis respectiue temporibus in vsu sunt, aliorumque victualium, quæ facere congruat, seu aliàs prouisiones sumere super vijs publicis, & fontibus, alijsque similibus negotijs.

Habet etiam Præfecturam gymnasij, seu studij publici Urbis, quod sub nomine Sapientie, vulgò appellatur, sub administratione Collegij Aduocatorum Consistorialium, habentium facultatem doctorandi in vtroque iure Prout alia Collegia Theologorum, & medicorum eiusdem Sapientie, habent conferendi eundem gradum in dictis alijs facultatibus, sed cum præsentia cuiusdam officialis, qui deputari solet per Camerarium illarum; solet esse Prælatus, atque pro moderna frequentiori praxi esse solet Rotæ Auditor, qui aliquam obtinet participationem emolumentorum, quæ per doctorandos deponuntur.

Prout etiam, præfecturam, & auctoritatem habet, concedendi, seu distribuendi vsus aliquorum situum, seu locorum publicorum Urbis pro venditione victualium, aliarumque rerum, & præsertim in magna platea Agonis, non autem ad perpetuam occupationem, & vsus priuatum, cum id fiat per aliud organum, vt infra in rubrica Ædiliū B; Aliasque retinet facultates, ac præminentias huiusmodi; Vnde propterea magnum confert numerum officiorum, ex quo sequitur, vt istud officium sit præ cæteris magis populare, id est quod ob dependentiam tot personarum, quæ ab eo ob-

tinent hæc minora officia, aliquod emolumentum præbentia, est magnæ existimationis apud populum.

Quodverò ad exercitium forensis, vel cõditiõis iurisdictionis illud habetur per
 11 Auditoem particularem, ad hoc deputari solitum, qui vt plurimum est Prælatus, sed quandoque etiam Curialis, ac frequentius diuersus ab illo domestico, seu aulico Auditore, quem quilibet Cardinalis habet, tanquam consiliarium, seu studiorum adiutorem, pro negocijs consistorialibus, & sacrarum Congregationum, vel pro causis commissarijs, alijsque occurrentijs; Proindeque iste, qui dicitur Auditor Camerarij seu Camerariatus, regit, ac repræsenteat Tribunal Camerarij, qui volens, non prohibetur facere per se ipsum, id quod facit, per dictum Auditorem, siue aliquas causas particulariter committere Alijs, tanquã per imaginem Episcopi, & Vicarij generalis.

Hoc autem Tribunal, pariformiter, cum altero eius filiali, Thesaurarij generalis de quo infra in eius particulari rubrica, dicuntur Iudices fisci Apostolici, in prima instantia, dũ Tribunal Camerae est iudex in secunda instantia; Et per cõsequens, iuxta ea quæ fauore fisci in iure statuta sunt, cognoscit, non solum de causis, quæ sint immediatè cum fisco Actore, vel Reo (illis exceptis, quæ specialiter, ac priuatiuè, per Apostolicas constitutiones, illam præsertim Sixti V. commissæ sunt Thesaurario, vt (ex. gr.) sunt causæ spoliatorum ecclesiasticorum, & locorum montium, & aliarum, de quibus infra in eiusdem Thesaurarij particulari Rubrica) Sed etiam, vbi fiscus habeat interessè connexum, vel mediatum, vt sunt causæ appaltuum, dohanarum, & gabellarum, aliorumque publicorum vectigalium, ac iurium fiscalium seu regalium; Ac etiam (prius frequentius, hodiè verò rarius, ob erectionem Congregationis Boni Regiminis) est iudex causarum Communitatum sæcularium Status ecclesiastici.

Maior verò cognitio huius Tribunalis, versari videtur, partim absque alio adiuncto, & partim cum Ædilibus Urbis, qui vulgò magistri viarum dicuntur, de

qui.

B. in discursu in quo agitur de Præside & de Magistris viarum.

quibus infra in sua particulari rubrica, super causis retractus prælatiui, & coactiui, seu alterius ornatus Urbis, aut refectionis viarum ad præscriptum constitutionis Gregorij decimitertij. C.

Item est Iudex cõpetens in causis publicorum camporum seu bancheriorum, aliorumque publicè negotiatiũ circa ipsam negotiationem, quasi quod fisci interesset non deficere istorum publicam fidem;
 13 Ac etiam est Iudex competens Hæbreorum, eorumque vniuersitatis, eo modo quo est etiam Cardinalis Vicarius, vt infra;
 14 Prout cognoscit de controuersijs, quæ oriuntur super vsu publicarum platearum vel situum, quem ipse Camerarius, vt supra, concedit, pro venditione victualium, alijsque commoditatibus.

In hoc autem Tribunali proceditur etiã per viam monitorij, non autè libelli, eodem modo quo in illo A.C., ac generaliter in alijs Tribunalibus Urbis, excepto foro Capitolino; In eo autem dignosci videtur parum cõmendabilis vsus, ac etiã
 16 in Tribunali Thesaurarij & in illo Vicarij, quod cum sit Iudex primæ instantiæ, siue delegatus ad certa genera, siue vniuersitatem causarum, quod cum ordinario fraternizat, habeat vsus sportularum, seu propinarum, quæ pro meo sensu, in illis præsertim Tribunalibus, quæ ab vnico Iudice regantur, adeo vt non sint collegiata, damnabiles videntur, pluriumque inconuenientium productiuæ.

De plerisque alijs causis quoque cognoscere solet; Vel ex stylo; Vel ex capitulis appaltuum; Vel ex Apostolicis cõmissionibus, et præsertim in decimis Papalibus, quandoque id praxis docet D; Siue in alijs Constitutionum, vel ædictorum contrauentionibus, vbi præsertim de ijs agatur, quæ aliquam habeant connexionem, cum iuribus fiscalibus vel regalibus, siue cum publica annona, vel gratia, vt quandoque praxis docet E, adeo vt non de facili omnino certa regula desuper statui valeat.

C. de multis causis huiusmodi actis in hoc Tribunali sub tit. de seruitut.

D. insinuatur sub tit. de benef. disc. 10.

E. insinuatur sub tit. de iurisdictione disc. 85.

Maior autem huius Cardinalis Camerarij auctoritas dignoscitur sede Papali vacante, siue vacatione imminente, quia nempè Papa in mortis articulo sit constitutus, cum isto tempore, repræsenteare dicatur imaginem antiqui Camerarij adeo magnæ auctoritatis, quoniam, vbi fama sit, quod Papa sit grauius infirmus, atque in mortis articulo constitutus, sibi denegari non potest aditus, siue ingressus ad ipsius Papæ cubiculum, ad effectum se certificandi, de vita, vel de morte, pro iuribus & interessè Camerae; Apponendo etiam quando velit in eo statu, iam imminentis mortis, custodes in palatio.

Sequuta verò morte Pontificis, coram ipso, & cõ interuentu Tribunali Camerae cõstituti ex Clericis, alijsque annexis, fit recognitio cadaueris, sibi que consignatur anulus piscatorius, qui ab ipso publicè frangitur, adeo vt eius vsus amplius haberi non possit; Ac etiam suscipit gubernium, & administrationem palatij Apostolici, quam distribuit inter Camerae Clericos, quorum singuli sua habent eiusdem palatij officia; Puta; Vnus circa aulam pontificiam; Alter circa ærarium suppellectilium vulgò guardarobba; Alter circa cellã vinariam; Alter circa rem frumentariam, seu furnum; Alter circa stabulum; Alter circa viridaria, cum similibus.

Ac etiam ius vel administrationem habet in constructione Conclauis, iuxta formam tamen à Collegio Cardinalium, præscriptam, plures desuper deputando officiales, & assistentes, cum pinguibus emolumentis, vnde propterea (vt præmissum est), tã ob ista, quã ob alia superius enunciata officia, quæ concedit seu distribuit, istud est munus magis populare, seu apud populum maioris existimationis, & adhiærentiæ (Quoties qui illud obtinet, generosè, ac iudic iosè, exercere sciat) Ipseque Camerarius pro tempore, quo durant nouendiales exequiæ pontificiæ, vsque ad clausuram conclauis, habitat in ipso Palatio Apostolico, atque per

per Urbem incedit more Principis præcedentibus illis militibus Papæ, custodiæ præpositis, nationis Heluetiorū, qui vulgo Allabarderij, seu Suizzeri nuncupantur, atque in hoc maiestas officij dignoscitur, quoniam adhibentur iisdem, qui Papæ inserviunt, cum eisdem armis, & vestibus, licet cum aliqua moderatione circa numerum, adeo ut dignoscatur differentia, ab ea militum custodia, quam habet, omnibus temporibus, etiam sede plena, Gubernator Urbis, tanquam eius Vicarius, ut supra.

Quandoque autem istud officium, tanquam merè prophanum, seu temporale, ac ratione merè temporalium emolumentorum, pro sedis, & Camera Apostolicæ indigentijs, consuevit esse venale, ut etiam nostra ætate, sub Gregorij XV. pontificatu, praxis docuit; Recenique est memoria eiusdem praxis sub alijs Pontificibus, & præsertim sub pijsimo, & candidissimo Apostolici patrimonij administratore, Beato Pio V., id practicum fuit pro servitio Christianæ fidei, pro expensis scilicet classis naualis contra Turcas, per quam celeberrima victoria reportata fuit; Semper tamen cum personis in cardinalitia dignitate iam constitutis; Istaque venalitas, seu pretium non refertur muneris administrationi, sed emolumentis merè temporalibus, iuxta ea quæ generaliter agendo de venalitate clericatum Camera aliorumque officiorum Curia, contra obloquutionem, ignari, vel maligni vulgi, latius deducta habentur in regalium sede occasione agendi de materia officiorum venalium. F

Id autem practitari non solet, in alijs, pariter maioribus muneribus, Vicecellarij, Pœnitentiarij, & Vicarij, quamvis respectivè, notabilia habeant annexa emolumenta, cum sint officia principaliter ecclesiastica, & spiritualia Papæ, tanquam Papæ, vel respectivè tanquam Episcopi Urbis; Istud verò officium, principaliter est temporale seu prophanum Papæ, tanquam Principis temporalis, pro administratione Camera, seu fisci laicalis, quamvis accessoriè, & consequentiè, aliqua quoque annexa sit administratio alterius fisci ecclesiastici seu Papalis; Ideoque longa differentia est inter

istud officium, & dicta alia tria; Eademque propterea differentia dignoscitur inter Clericatus Camera, & Auditoratus Rotæ, & quare illa, & non ista officia, sint venalia, dum ista quoque promptissimos inuenirent emptores pro prætio valde notabili.



De Cardinali Pœnitentiario; Et de eius Tribunali Pœnitentiariæ.

S V M M A R I V M

- 1 DE origine huius officij.
- 2 DE eius antiqua potestate, & facultatibus.
- 3 De istius potestatis magna moderatione.
- 4 De expeditionibus, quæ prius fiebant per Datariam.
- 5 De hodierno statu, & facultatibus.
- 6 Et præsertim circa dispensationes matrimoniales, earumque emolumenta.
- 7 De emolumentis bursalibus.
- 8 De Pœnitentiarijs audientibus confessiones sacramentales in tribus Basilicis.
- 9 De Pœnitentiarijs domus Lauretanae.
- 10 De expeditionibus vel breuib; Pœnitentiariæ.
- 11 De Pœnitentiaria Congregatione, & de Regente, alijsque officialibus maioribus.
- 12 De procuratoribus, & scriptoribus.
- 13 Expeditiones dantur gratis omnino.
- 14 Officiales omnes prædicti prouidentur etiam gratis, & quomodo.
- 15 Super quibus dentur ab hoc Tribunali expeditiones.
- 16 De absolutione ab excommunicatione cano-